

Conrad Schuckmann   Bartoldus Kriger

## **Disputatio Iuridica Feudalis De Modis Amittendi Feudum Et Amissi Devolutione**

Rostochius: Kilius, 1653

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732601207>**

Druck   Freier  Zugang



Adelsverlust  
Entlastung der Entlassenen

L. Schuckmann (B. Kriza) <sup>Vert.</sup> 16  
R. U. im 1653.



53  
DISPUTATIO JURIDICA  
FEUDALIS  
DE  
MODIS AMITTENDI  
FEUDUM ET AMISSI  
DEVOLUTIONE,

QUAM  
DIVINA FAVENTE GRATIA,  
Consensu & autoritate Amplissimæ Ju-  
ridicæ Facultatis, in illustri ad Varnum  
Academia

SUB PRÆSIDIO

*Viri Amplissimi & Excellentissimi*

DN. CUNRADI Schuckmann /

J. U. D. Promotoris & Fautoris sui, omni  
observantiæ cultu prosequendi,

*Publicè discutiendam exhibet*

BARTOLDUS KRIGER] Westphalus,

AUTHOR ET RESPONDENS,

*In Auditorio Majori ad diem 19. Novembris.*

☞(O)☞

ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILLII, Acad. Typogr.

ANNO M, DC, LIII.

DISPUTATIO JURIDICA  
PUBBLIS

DE

MODIS AMITTENDI  
REDDITUM ET AMISSI

DEVIATIONE

GRATIA

DIVINA MAJESTATE GRATIA

Caesars & archiepiscopi & capitulum ju-

ris Facultatis in hujusmodi



DR. GONRARDI (Gonrardus)

U. D. Professoris & Facultatis juris

in hujusmodi

causis

BARTOLDUS KRIGER

Wigboldus

ARTIS ET RESPONDENS

In hujusmodi

causis

POSTORIUM

U. D. Professoris & Facultatis juris

in hujusmodi

## DUCE JEHOVA!



Mnium rerum, quas Natura progemerat, certi modi sunt constituti, quibus oriuntur, & quibus intereunt, ac rursus moriuntur. Ad harum imitationem, se quoque referunt, quae hominum inventionem, ac dispositionem in lucem prodierunt: Sicut id videre est in Patria potestate.

tit. Inst. quib. mod. patr. potest. solvit. matrimonio. tit. ff. de divort. & repud. usufructu. §. fin. Inst. de usufr. & passim ex toto jure Civili & Canonico. Idem sanè in usibus Feudorum observatur. Postquam igitur non ita pridem de modis acquirendi feudum publicè disputatum, commodum mihi visum fuit, pro ingenii mei modulo, de precipuis saltem amittendi modis differere. Ne autem de cubiculo in ipsam aciem egredi videar, exemplo religiosissimi Imperatoris nostri in l. 2. C. de offic. præf. prætor. Afr. numen divinum imploro, ut conatibus hisce meis adesse velit.

### THESIS. I.

**F** feudum semel vasallo legitimè acquisitum, sine justâ causâ non aufertur 2. F. 23. arg. l. 11 ff. de R. 1. adeo ut ne quidem Imperator illud adimere possit. arg. l. 3. C. de rescind. vendit. l. 1. F. 7. Rosenth. c. 10. concl. 11. Clar. §. feudum q. 59. n. 1. Nisi in calu evidentis publicæ necessitatis. Lindem. Exerc. feud. 3. c. 10. th. 6.

2. Amittitur autem vel culpâ, quam Obertus 2. F. 23. Synecdochicè vocat ingratitude, positâ specie pro genere. Et accipimus in latissima significatione, ita ut non solum crimina dolo perpetrata, sed etiam latam culpam comprehendat. Niell. Disp. feud. 8. th. 1. l. b. Schrad. tr. feud. p. 9 sect. 7 q. 22. n. 16. & seqq. Confer. 2. F. 24. §. præterea; vel citra culpam, de quo amissionis modo dicemus infra. Illud tamen notandum, hoc posteriori modo feudum propriè non amitti, sed finiri, ut subtiliter distinguit Paul. 3. sens. 6. inter hæc duo, amittere scil. usum.

fructum, & finiri usum fructum. quamvis, cum de re constat, hac curiosâ distinctione non putem esse opus, cum Gothofr. *Disput. feud. n. sb. 1. lit. e.*

3. Culpa alia est commissionis, alia omissionis. Utraq; in libris Feudorum Felonia appellatur 2. F. 26. §. *domino committente* 2. F. 38. & 47. Cui vocabulo varias Grammaticas notaciones affinixerunt Interpp. teste Vult. *lib. 1. c. n. n. 17.* quidam enim à fallo, quidam à Græco *Φύλωσις & Φύλωσις*, quod significat fraudem, vel imposturam, deducunt, ut Borch. & Cujac: Nos barbarum esse nomen magis dixerimus & in Longobardorum labris ortum, præsertim cum his idem significet, quod Latinis scelus, Germanis ein *Schelmstück* testante Hottom. in Lexic.

4. Hæc culpa, vel in ipsum dominum perperratur, quod fit aut directò, puta si ipse offendatur, aut obliquè seu per consequentiam, veluti si personæ potestati affectuivè ejus subjectæ, aut res lædantur; vel in extraneum 2. F. 24. §. *deniq;* & 2 F. 37. Vult. *lib. 1. cap. n. n. 18.* Et quia ejusmodi culpæ seu delicta facti sunt, amissionis causæ omnes ac singulæ, regulâ aliquâ certâ ac definitione rotundâ comprehendi nequeunt. 2. F. 23. Sonsbec. *part. 12. pr.*

5. Directò contra dominum culpam committit vasallus, si eundem occidat, gladio, an veneno, aut alio modo nihil interest. 2. F. 24. §. *porrò*, 2. F. 6. *vers. incolume* & 7. *vers. ego juro.* Conatus autem in nulum effectum productus non punitur, modo suâ sponte pænitiâ ductus, ab incepto destiterit. 2. F. 51. *vers. si voluerit*, & ibi Schenck. Baro à Tautent. Nisi vasallus id fecerit defensionis gratiâ, cum aliter periculum effugere non possit. 1. 3. ff. *de j. & j. l. 4. l. 45. §. 4. ad. L. Aquil. l. 1. §. 27. de vi & vi arm. c. significasti* 18. *Extr. de homicid.* Moderamine in culpa tutelæ observato. Sic etiam excusatur vasallus, si dominum, adulterio deprehensum occiderit. *Scrad. part. 9. c. 4. n. 92.* Hoc enim ipsi nihil gravius accidere, nec mors ipsa acerbior esse potest *arg. l. 8. §. 2. ff. quod met. caus.*

6. Eandem culpam committit, si graves vel inhonestas injurias domino intulerit. Dubitari autem hic possit: quando gravis esse injuria censeatur? ad quod dicendum, cognosci debere ex qualitate personæ, ex loco, tempore & similibus, de quibus alibi in §. 10. *Inst. de injur.* quod tamen judicis sagacitati discutiendum committitur 2, F. 24. *vers. sed quia natura.* Sonsb. *p. 12. n. 37.*

7. Com-

7. Commodè hîc quæritur: an vafallus feudo privari poffit, fi manum faltem quafi percuffurus Dominum, elevavit, non tamen percuffit? Et licet quidem injuria hæc quædam fit *per l. 15. §. 1. ff. de inj.* non tamen tantæ atrocitatis eſſe videtur, ut propterea vafallo feudum fit auferendum, Alvarort. & Schenck. Baro *ad 2. F. 51. §. fi vo. uerit* Sicut nec tunc ſi juraverit fortè in necem domini, ſed pænitentia ductus ad externum actum non eſt progressus, eo privari poteſt. Roſenth. *c. 10. concl. 17. n. 12.*

8. Huc pertinet, ſi caſtrum domini obfederit, & illud aſſilierit aut oppugnaverit. *1. F. 5 §. ſimiliter 2. F. 24. §. porro.* & ſufficit hæc cauſa, ad privationem feudi, ſi vafallus habitationem vel caſtrum domini eſſe ſciverit, ſive præſens, ſive abſens ſit dominus, & ſive vafallus præſentiam domini ſciat, ſive ignoret, quia taliter delinquendo, venit contra Sacramentum fidelitatis, cum hoc tendat in damnum domini *per. 2 F. 6. & ibi Alvar. Schenck. Baro ad 1. F. 5. §. ſimiliter.* Et hæc intellige de caſtro domini proprio, in oppugnatione enim caſtri alterius à vafallo facta, optime diſtingvitur inter ſcientiam & ignorantia Vult. *lib. 1. c. 11. n. 38.*

9. Item ſi vafallus copulaverit amicitiam cum inimicis domini in ejus perniciem, feudo privatur *2 F. 57. Schrad. tr. feud. p. 9. c. 5. n. 23. & 27. ibi, hæc conclusio.* Sed cui in dubio incumbet probatio, amicitiam in perniciem domini factam eſſe, aut non eſſe? vide *Zaf. p. 10. n. 32.*

10. Sic feudum perdit vafallus, ſi illud dolo malo abnegaverit *2. F. 26. §. vafallus ſi & §. vafallus feudum 2. F. 34. §. fin.* Et non mirum, nam in multis juris partibus inficiator pœnam meretur. *l. fin. ff. de R.V. l. 4. C. ad leg. Aquil. Auth. contra, Cod. de non num. pecun. l. 10. § 1 ff. de fidei.* Cæterum ſi partem aliquam negavit, parte etiam mulctabitur. Sed ſi dubius domino quærenti respondeat, Neſcio, feudum retinet *d. §. vafallus feudum & d. §. fin. Arum. D. 8. th. 17. Alvar. & Schenck. Baro ad 2. F. 26. §. vafallus Clar. §. feudum, q. 59. n. 3.*

11. Non minus dominum directo offendit, ſi delator ejus extiterit, & per ſuam delationem grave diſpendium ei ſuſtinere fecerit *2. F. 24. §. item ſi delator & ibi Alvar. Schrad. tr. feud. p. 9. c. 8. n. 5.* Sic etiam qui credentiam domini manifeſtaverit, & dolo malo, & animo dominum afficiendi damno. *1 F. 17 2. F. 6. §. tutum 2. F. 7. verſ. & ſi aliquid.* Sic Jure Civili qui ſecreta hoſtibus renunciant, proditores habentur, & capite puniuntur *l. 6. §. 4. ff. de re milit. l. 38. §. 1. de pœn. Revelato-*



res enim semper sunt odio habiti, & ideo vetustas, ut homines à tanto scelere deterreret, finxit Syfiphum gravissimo supplicio apud inferos plecti, quod Deorum secreta hominibus patefecerit Schrad. *tr. F. p. 9. c. 5. n. 42.*

12. Vasallus itidem dominum de crimine capitali accusando, feudum amittit *2. F. 33.* sive id fecerit per se, sive per alium, imò si saltem accusatori in judicio adfuerit, aut pro eo fidejussor extiterit *arg. l. 5. §. 11. ff. de his quæ ut indign. auf. l. 14. §. 5. ff. de bon. lib.* Sonsb. *p. 12. n. 48* Vult. *d. c. 11. n. 27.* Sed nec ad veri criminis accusationem, citra feudi amissionem admittitur vasallus. Sonsb. *d. l. n. 47.* Schenck. Baro *ad 2. F. 24. §. item si delator.* Quod tempera, nisi dominum propter crimen ad versus Principem vel Remp. perpetratum accusare vasallus instituat. *arg. l. 7. §. 2. ff. ad l. Jul. Maj. & Dd. communiter in d. §. si delator.* Item nisi vel suam vel suorum injuriam prosequatur *arg. l. 11. de accus. l. 14. §. 6. & 7. ff. de bon. libert.* Item nisi à domino impetitus in eum criminaretorqveat. Ignoscendum enim est ei, si voluit se ulcisci provocatus *d. §. 6. Schrad. tr. feud. p. 9 c. 8. n. 5.*

13. Ita directo offenditur dominus: sequitur nunc quomodo per consequentiam, cum in personis conjunctis, tum etiam in rebus. Persona maxime conjuncta est conjunx, cum qua si vasallus concubuerit, & dominum cucurbitaverit, feudo indignum sese reddit *1. F. 5. pr. 1. F. 21. §. si quis 2. F. 57.* Deducit autem Hottom. vocabulum cucurbitare à voce curbita. Videtur autem barbarum fontem redolere, præsertim cum in LL. Longobardicis Curbita pro stupro usurpetur. Rationem ejus adducit Rittersh. hanc, quod qui hoc flagitium perpetrare audeat, in personas tam conjunctas domino, is eum habeat pro homine inerte, quasi qui pro capite habeat cucurbitam, & peponem loco cordis, ut est proverbium Rittersh. *p. f. 2. cap. 5. q. 92.*

14. Prædicta etiam vera intellige, si saltem concubitum hujusmodi attentaverit, quod dicitur in tex. si concumbere se exercuerit. *pr. 1. F. 5.* Quid si quis postquam se exercuerit, destitit à proposito, an nihilominus feudo privabitur? Disting. aut pænitentiam ductus destitit, cum potuisset propositum perficere, & non privabitur. *Gl. 1. F. 5. verb. exercuerit,* aut alio impedimento interveniente abstinuit, & tum privatur. *Gothofr. D. feud. 11. th. 5. lit. h.* Lusus quoque cum conjuge impudicus, qui sit, manum ejus in sinum inferendo, ut Terentianus ille Clitipho, aut mamillas, seu

seu pectus attingendo *Gl. d. l. verb. luserit*, æqualem cui ipsa cucurbitatione pœnam promeretur *Sonsb. p. 12. n. 24. Rosenth. c. 10. n. 3. & seqq.*

15. Quod de uxore dictum etiam ad filiam, neprem, nurum & sororem domini recte extenditur, *1 F. 5. pr. 2. F. 24. §. rursus*. De sorore tamen hoc verum intellige, si adhuc sit in domo domini, & in capillo *d. d. text.* Cæterum tamen si vasallus, si cum ejusmodi personis concubuerit feudum amittat, tamen si cum illis concumbere solum conetur, seq; ad hoc exerceat, ob id feudo non privabitur *Schenck. Baro §. item si fidelis 1. F. 5.* Ex prædictis notandum, quod Longobardi gravius impudicitiam quam homicidium puniverint. Fratrem enim vel sororem domini occidens, regulariter feudo non privatur *2. F. 37.*

16. In Sponsa quoq; æque graviter ac in uxore cucurbitatio à domino vindicatur, maxime cum hodiè Sponsæ de præsentì verè conjuges esse intelligantur in his, quæ ad honestatem sponsi spectant, *arg. l. 5. ff. de testib. l. 32. §. 13. ff. de donat. inter vir. & uxor. l. 15. §. 24. de injur. l. 13. §. 3. ad L. jul. de adult. Schrad. p. 9. c. 2. n. 12. Schenck. Baro §. item si fidelis 1. F. 5.* Cum vidua verò domini concumbentem, pœnam privationis non incurrere, contra *Schraderum p. 9. c. 2. n. 5. cum Sonsbecio p. 12. n. 16. Vult. d. c. 11. n. 31. vers. quid de vidua & Egvin. Bar. lib. 3. de benef. c. 3. rectè asserimus per tex. 1. F. 21. §. ult. ibi domino vivente.*

17. Sic & cum concubina domini, quæ hodiernis præsertim moribus, nihil honestatis habet, se commiscens, feudi jacturam minimè patitur *Vult. d. c. 11. n. 31. Arum. D. F. 8. th. 7.* Quæritur autem hic: si vasallus cognovit pedissequam vel famulam, quæ in domo domini est, an priveretur feudo? videtur quidem dicendum quod sic, quia debet facere ea, quæ faciunt ad honestatem domini, si dignus feudo esse volet, *2. F. 6.* Sed tamen contrarium determinat *Andr. de Isern. Alvar & Schenck. §. item si fidelis 1. F. 5. Vult. d. l. & Sonsb. p. 12. n. 22.*

18. Pœna commissa hujus libidinis etiam tunc habet locum, si personæ prædictæ in eandem consenserint, & non cum invitis, sed volentibus & id exoptantibus, vasallus rem habuerit, utroq; enim casu domini est injuria *l. 1. §. 5. & l. 26. ff. de injur. Schrad. d. p. 9. c. 2. n. 19. Alvar. d. §. item si fidelis n. 2. & 2. F. 24. §. rursus.* Quod ita in specie de uxore domini tradit *Schenck. Baro d. §. n. 2. Sonsb. p. 12. n. 16.*

19. Quod autem de ipsis corruptoribus, aut attentatoribus pudicitie dictarum personarum superius admonuimus, idem obtinet etiam in iis vasallis

vasallis, qui talia patrantibus, vel patrare annirentibus, opem & auxili-  
um, lenocinium exercendo, alioq; modo iuvando præstant, vel etiam,  
aliis hujusmodi facinora mandant, *arg. 2. F. 7. Alvarot. d. §. item si fide-  
lis. Schrader. p. 9. c. 2. n. 20. arg. l. 8. 9. 14. ff. ad L. Jul. de adult. l. 15. ff.  
ad L. Corn. de sicar. l. 1. §. 13. ad SC. Turpil. §. 12. Inst. de oblig. quæ ex del.  
20.* Non solum prohibitâ hujusmodi libidine, sed & aliis modis  
in personas domino conjunctas cum ejusdem offensione delinquitur, &  
feudum amittitur, verbi causa: si locum in quo uxor est domini, vasa-  
llus obfideat, & oppugnet, vel ipsammet affiliat *arg. 1. F. 5. §. similiter.*  
Namq; cum uxor & maritus sint unum corpus *c. admonere 33. q. 2. re-  
ceptum est, injuriam illatam uxori, intelligi illatam marito, l. 1. §. fin. l.  
18. §. fin. ff. de injur. §. 3. Inst. eod.* Idem dicendum, si filium domini vel  
locum in quo is degit, affilierit. *Schrad. d. p. 9. c. 3. n. 6.* Quia cum Pater  
& filius ejusdem personæ vicem gerant, *l. fin. C. de impub. & al. subst.*  
receptum est, injuriam illatam filio, patri illatam censeri, usq; adeo ut  
patri propter hanc injuriam proprio nomine actio injuriarum detur.  
*l. 30. pr. de pact. l. 1. §. 3. ff. de injur.*

21. In rebus domini vasallus culpam committit, non solum si ca-  
stro, aut munitionibus vel aliis possessionibus ejus damnum inferat *2. F.  
6. vers. tutum & vers. utile.* sed & si ipsum feudum deterius reddat. *2. F.  
8. §. 1. 2. F. 27. §. deniq;.* Non tamen quælibet deterioratio ad hoc sufficit,  
sed necesse est, ut sit magna & notabilis, ad perpetuum ipsius feudi  
damnum spectans, ipsiusq; vasalli culpa sive dolo facta. *Vult. d. c. 11. n.  
39.* verbi gratia: si arbores fructiferas absq; causâ refectionis ædium,  
ex sylva non cædua magno numero succiderit *arg. l. 7. §. 12. ff. solut. ma-  
trim.* nisi fuerint vetustæ, & in illarum locum alias plantando substitue-  
rit *l. 18. ff. de usufr. Schrad. tr. feud. p. 9. c. 6. n. 64. & seqq.*

22. Item si quis arcem, pagum, oppidum, aut territorium habens  
feudi beneficio, subditos & agricolas malè, & indignis modis tractet,  
exactionibus gravet, insolitisq; & indebitis oneribus premat, excoriet,  
in vincula conjiciat, justitiam illis non administret, feudo etiam ut in-  
dignus exuitur. *Alvarot. & Schenck. Baro §. quicung; 2. F. 27. Gail.  
de pac. publ. lib. 1. c. 2. n. 22. Schrad. d. l. n. 61.*

23. Quod de feudi amissione propter ejus enormem abusum, &  
deteriorationem, ac in subditos sævitiam dictum, locum etiam habet  
in feudo empto, quod quamvis ratione pretii, quod pro datione ejus  
inter-

intervenit, sit improprium, quoad cætera tamen regularem feudi naturam habet, & iisdem, quibus alia modis, amittitur 2. F. 48. Rosenth. c. 10. concl. 33. n. 92. Schrader d. l. n. 74.

24. Porro etiam insignis culpa in rebus domini à vasallo committitur, si domino inconsulto feudum, ejus qualitatem non ignorans, alienet, propter quam alienationem merito feudi jacturam patitur 1. F. 5. in fin. 2. F. 13. §. ult. 1. F. 21. §. si quis miles 2. F. 9. pr. 24. §. ult. 38. 44. §2 55. Cujus hæc perhibetur ratio, ne vasalli feudis aut facultatibus suis exuti, ad servicia obeunda minus fiant idonei. 2. F. 52. vers. per multas 2. F. 55. pr. vers. 1.

25. Alienationis autem vocabulum latissimè accipitur 2. F. 55. pr. ut non saltem eo comprehendatur distractionis titulus, quo rei dominium transfertur ut est venditio, donatio, legatum, permutatio, sed etiam quo jus, aliquod conceditur, ut oppignoratio d. 2. F. 55. cõprehenditur etiam in dotem datio 2. F. 9. §. donare, cum dos proprium efficiatur mulieris patrimonium l. 3. §. 5. ff. de minor. l. 14. ff. ad L. Falcid. Sed hoc de patre filiam ex feudo dotare volente intelligendum. Mulier autem pro se feudum marito in dotem dare minime prohibetur 2. F. 13. §. 17. hac tamen lege, ne detur cum pacto de lucro dotis Rosenth. c. 9. concl. 9. Niell D.F. 6. th. 6. lit. g.

26. Eodem quoque refertur datio in Emphyteusin, arg. 2. F. 55. pr. & ibi F. F. communiter. Cum enim alienatio generaliter dicatur omnis actus, per quem dominium in alium transfertur l. 1. C. de fund. dot. l. fin. C. de reb. alien. non alien. & per emphyteuticum contractum utile dominium rei in emphyteusin concessæ in emphyteutam transferatur, certum est, quod sicut vasallo omnis alienatio feudi prohibetur, ita quoque prohibetur ipsi feudum in emphyteusin concedere. Sonsbec. p. 12. n. 82. Schrad. p. 8. c. 1. n. 6. Hodie tamen, ex generali consuetudine, vasallos pascuæ, terras incultas, & eremos feudales in emphyteusin concedere refert Clarus §. feudum q. 33. n. 4. Vult. c. 10. n. 47.

27. An verò locatio ad longum tempus prohibita sit, controversatur, & quidem plerisque communiter placet, hujusmodi locationem, alienationem in se continere. Sonsb. p. 12. n. 84. Vult. c. 10. n. 48. Schraderus p. 8. c. 1. n. 13. Quam sententiam velut communiorē nos quoque sequimur.

28. Hypothecæ constitutio, an alienationis vocabulo in hac materia

B

teria

etia intelligatur? non satis inter Dd. convenit. Sonsb. *d. p. 12. n. 100.*  
Vult. *d. c. 10. n. 43.* & alii quidem illud indistincte affirmant, propter  
generalitatem textus *2. F. 55. pr.* Nos tamen à parte negantium stare  
non dubitamus, modo id saltem quærat, an propterea vasallus feudo  
sit exuendus, quod feudum tantum hypothecæ nexibus illigatum sit,  
Schenck, Baro *1. F. 5. §. aut si libellario n. 5.* Rosenth. *c. 5. concl. 15.* Lindem.  
*Exerc. feud. 3. c. 7. n. 32.*

29. Non minus controvertitur, an etiam ususfructus constitutio  
nomine alienationis veniat? Affirmantium sententiæ ut subscribamus  
movemur expresso textu *l. fin. C. de reb. alien. non alien.* ubi ususfructus  
inter alienationis species disertè numeratur. Vide Sonsb. *p. 12. n. 103.*  
Alvarott. *2. F. 55. pr. n. 13.* Vult. *lib. 1. c. 10. n. 41.*

30. Deniq; illud non immerito quæritur, an etiam alienatio feudi  
quæ fit ex necessitate famis, prohibita esse censeatur? Sententiæ affir-  
mantium ut calculum nostrum addamus, clara juris dispositio poscit *2.*  
*F. 9.* Licet autem durum sit telum necessitas, vasallus tamen quan-  
tavis egestate pressus, sine domini permissione feudi ejusvè partis alie-  
nandæ nullam habebit facultatem, secundum *d. tex.* qui plane indicat,  
priscam illam consuetudinem, quæ feudalis alienatio, quantum ad partem  
recepta erat, jam prorsus antiquam esse Sonsb. *p. 12. n. 77.* Schrad. *p. 8.*  
*c. 1. n. 20.* Schenk. Baro *2. F. 9. n. 6.* Alvarot. *ibid. n. 4.*

31. Respectu extranei culpam committit vasallus, si parricidium  
perpetret; Id est in fratris sui, aut ejus filii viscera, vel avaritiæ siti, vel  
alia quapiam stimulante perditæ animi malignitate ferrum sceleratus  
stringat *2. F. 24. §. ult.* ut scilicet funestam fratris hereditatem, ceu ca-  
daver aliquod rapax vultur invadat, feudoq; solus potiatur *2. F. 37. pr.*  
Sonsb. *p. 12. n. 52.* Alvarot. & Schenck. Baro *ad 2. F. 37.* Non idem re-  
ceptum est in vasallo, qui fratrem domini sui occidit, siquidem vasal-  
lum ejusmodi feudo non privari *tex. est 2. F. 37.* quod intellige, nisi id  
fecerit proditorie, Sonsb. *p. 12. n. 53.* Schenck. Baro *1. F. 5. §. similiter*  
*n. 6.* Alvarott. *2. F. 37. n. 1.* Rationem diversitatis, cur quod in fratre  
vasalli receptum est, idem non sit receptum in fratre domini, cum ta-  
men dominus ex nece fratris sui magis lædi videatur, quam ex cæde  
fratris vasalli, qui ipsi est extraneus, vide apud Sonsbec. *d. l.* Sed quid,  
si vasallus seipsum occidat, an per hoc feudum ita amittatur, ut nemo  
agnatorum illud habere possit? Quod sub distinctione negandum pu-  
ramus

camus, si videlicet non se occidit ex conscientia facinoris illius, propter quod privandus esset. *Sonsb. d. p. 12. n. 57. Alvarot. 2. F. 24. §. fin. n. 15.*

32. De crimine læsæ Majestatis, dubium nullum est quin ex eo vasallus feudo privetur, ut tradunt communiter *Dd. ad l. 5. C. ad L. Jul. Maj. Schrad. p. 9. c. 8. n. 18. Vult. lib. 1. c. 11. n. 36.*

33. Superest culpa vasalli in omittendo, quæ non secus ac in committendo consistens, vasallum feudo indignum reddit. Hujus species non postrema est, si vasallus justo tempore renovationem investituræ petere neglexerit. *1. F. 22. 2. F. 24. pr. 2. F. 40. pr. Ad hoc autem vasalli dolum requiri textus est, 2. F. 52. §. fin. Rosenth. c. 6. concl. 69. qui ut aliàs non præsumitur, ita justâ causâ impediente abesse videtur. Rosenth. d. concl. Quæ autem sit illæ causæ justæ vide Vult. lib. 1. c. 7. n. 72. & sequent. Rosenth. c. 6. concl. 43. & seqq. Schrader. p. 6. c. 2. n. 15.*

34. Cæteræ hujus culpæ species sunt, si vasallus debita servitia præstare recusaverit. *1. F. 21. 2. F. 28. §. ad hoc, Neq; aliam esse justiorent feudi amittendi causam scribit Obertus 2. F. 24. §. sed non est alia. §. licet vasallus 2. F. 26. 2. F. 28. §. ad hoc. Aliud autem dicendum erit, si vasallus servitium præstare, ex justâ causa impediatur, ut est tex. 2. F. 24. vers. aliud est. Nisi impossibilitas illa esset causata dolo, vel culpâ vasalli, arg. l. 2. §. 1. ff. Si quis caut. Arnim. D. F. 8. th. 12. Schenck, Baro ad d. §. Sed non est alia, n. 1. & seqq. Alvarott, ibid. n. 6. & 7.*

35. Hûc pertinet, si vasallus domino justitiam facere neglexerit. *2. F. 24. §. illud tamen. Schrad. p. 9. c. 7. id est, si vasallus in curia suâ ( potestatem fieri, ut propriam curiam habeat ) domino jus reddere noluerit, vel si electus inter pares iudex, causæ feudali operam dare noluerit, vel ex bono & æquo non judicaverit, vel deniq; si feudi nomine in iudicium à domino juris sui experiundi causâ vocatus, edictis non obtemperaverit, nam etiam si feudi amittendi justâ alia causâ non fuerit, attamen contumacia ipsius damno possessionis & feudo plectitur. Atq; hæc verior videretur verborum istorum interpretatio, authorisque sententiæ magis consentanea. Vult. lib. 1. c. 11. n. 24. in fin. Egvin. Baro ad d. §. illud tamen. vide Rosenthal. c. 10. n. 40. & seqq.*

36. In eandem culpam incidit vasallus, si sciat periculum imminere, vel personæ vel bonis domini, & cum possit, ipsum de eo certio-

rem non reddat, *per. rex. 2. F. 24. §. præterea. 2. F. 7.* ibiq; Alvarot. & Schenck. Baro. 2. F. 28. §. *ad hoc*, neque in hoc spectatur, an agat dolose, sed sufficit ipsum negligentem esse, ut expressus est *tex. d. §. præterea.* Cæterum quoad bona requiritur, quod domino imminet grandis jactura Sonsbec. *p. 12. n. 15.* Alvarot. *d. l. n. 3.* Quid autem, si vassallus dominum certiores reddere nequeat, periculo tamen illi obistere possit, non autem obsistat, an eo casu etiam vassallus feudo privandus sit? Et privandum esse disertè scribit Gl. *d. §. præterea & ibi Alvarot. n. 4. Sonsb. d. n. 15.*

37. Huc pertinet si dominum carceribus inclusum non liberaverit, cum liberare potuerit. 2. F. 24. §. *item si delator.* quod tamen de injusta tantum incarceratione obtinet. *arg. 2. F. 28. Jul. Clar. §. feudum q. 24. n. 2. Borch. c. 8. n. 114. Alvarot. d. §. item n. 3. Schrader. p. 9. c. 8. n. 8.* Ideoq; si vel ob delicta vel debita carceribus dominus compactus sit, vassallus eundem liberare non cogitur. *Vult. lib. 1. c. 11. n. 48.*

38. Deniq; vassallus dominum in acie periclitantem, nec lethali-ter vulneratum deserens feudi exauctoratione punitur. 1. F. 5. *pr. 1. F. 21. §. ult. 2. F. 24. §. item si dominum 2. F. 57.* Quod adeò verum est, ut licet Dominus salvus evaserit, vel victoriam obtinuerit, vel etiam desertor vassallus à fuga redierit. *Sonsb. p. 12. n. 14. Alvarot. 1. F. 5. pr. n. 7.* nihilominus vassallus feudo cadat *arg. l. 3. §. 15. ff. de remilit.* Imò et si frater commune feudum habens dominum strenue defenderit, alter tamen frater deserens, pro sua parte feudo privabitur. Feudum enim pro parte amittitur. 2. F. 38. *Sonsb. d. l. Vult. c. 11. n. 19. Arum. Diss. Feud. 8. th. 1. Gothofr. Diss. feud. 11. th. 8. lit. b.*

39. Non tamen vassallo fraudi esse debet, si se subduxerit, cum ad juvandum dominum in prælio factus est inhabilis, puta abscissis ipsi vassallo brachiis, aut vulnere gravi, aut morbo affectus fuerit, aut nisi fugâ sibi consulisset, omnino ipsi pereundum fuisset, hoc enim casu non tenetur præferre salutem domini suæ salutem. *Sonsb. d. l. n. 12. in fin. Alvar. 1. F. 5. n. 6. Arum. d. l. th. 2.*

40. Citra culpam amittitur vel finitur feudum, primo rei feudalis interitu, ad exemplum ususfr. 2. F. 23. §. *ult. arg. §. 3. Inst. de usufr. & emphyteuseos. l. 1. C. de jur. emph.* Sublatâ enim re, in qua utpote suo sub.

subjecto jus aliquod est, ipsum etiam tanquam ejus rei adjunctum tolli ipsa svadet ratio Logica. Vult. *c. n. n. 5.* Multis autem modis res aliqua interire potest, puta terræ motu §. 3. *Inst. de usufr. l. 15. §. 2 ff. locat. inundatione l. 10. §. 2. l. 23. ff. quib. mod. usufr.* Item hostili occupatione. *l. 12 §. fin. ff. de reb. aut. judic.* quæ tamen cessante feudi pristinum jus postliminio restituitur, non secus ac ager inundatus abscedente aquâ ad pristinam causam redit *l. 23. l. 26. ff. quib. mod. usufr. amitt. l. 16. de capt. & postl. rev.*

41. Secundo finito tempore ad quod usq; concessum, sive id in investitura expressum fuerit. *l. F. 2. pr.* sive sit tacitum, ut in feudis Guardix, Castaldix, & similibus temporariarum administrationum, quæ citra pactum certo tempore elapso intereunt *l. F. 2. & 11. non tamen ipso jure, sed domini revocatione interveniente d. tex. l. F. 2.*

42. Similiter sine culpâ feudum amittit vasallus, illud refutando *2. F. 14. 38. 44. & 49.* Refutatio autem nihil aliud est, quam feudi quod habet vasallus tempestitiva ab ipso facta renunciatio, *die Aufssagung oder Aufsfündigung des Lehns.* Hæc fit vel in manus domini, vel successoribus, sive descendantibus, sive agnatis. Licere autem vasallo feudum pro lubitu, vel domino vel alicui agnatorum cedere vel refutare, etiam iuvito domino, tempestitivè tamen, satis est manifestum. *arg. l. 29. C. de pact. l. 69. ff. de R. l. §. pen. Inst. de usufr. 2. F. 14. 2. F. 38. in fin.* nec refert illud ob certa servitia sive indefinitè collatum esse, quam sententiam communem dicit. *Myns cent. 5. Obs. 65. Schenck. Baro 2. F. 38. n. 5.*

43. Refutatum autem feudum domino, si novum sit pleno jure ad dominum redit. In eo namq;, consensu domini vasallis etiam iis, quibus feudum quæsitivè, præjudicare licet *Alvar. 2. F. 39. n. 8. Andr. de Isern. ibid.* Si verò feudum antiquum à vasallo domino refutatum sit, id agnatis non præjudicat *d. 2. F. 39.* quia agnati feudum non à refutante, sed à primo acquirente habent. Ideo ii mortuo refutante, ad feudum admittuntur. Si agnato cuidam sit refutatum, & quidem remotiori, interest, utrum interveniente pretio refuso, an gratis Priori casu, etiam vivo refutante, intra annum æquali pretio proximiori id revocare licet *2. F. 3. §. sed etiam res. 2. F. 36. §. Titius l. F. 8. §. hoc. quoz.* Cæterum feudo proximis agnatis refutato, quamvis

B 3

à ser-



à servitiis liber sit vasallus, dominum tamen suum offendere non potest. 2. F. 38 in fin.

44. Extinguitur quoque feudum sine culpa, morte vasalli 2. F. §. rursus 1. F. 13. §. etsi clientulus. Si scilicet eo defuncto, nemo superest alius, cui jus succedendi competat. Tum enim feudum ad proprietatem revertitur, & ex eo tempore nuda proprietatis dominus incipit plenam in re habere potestatem, ut de usufr. cui feudum non est absimile loquitur Justin. §. fin. Inst. de usufr. Item multis aliis modis, de quibus Dd. uberius tractantes vide.

45. Præter has causas ordinarias, legitimas & jure expressas, cæteræ non expressæ, judicis arbitrio relinquuntur æstimandæ, an expressis similes sint, vel etiam illis majores & graviore, ut vasallus propter unam aut alteram feudo merito privetur. 2. F. 24. §. 2. vers. prædictu. Quod autem vasallus iisdem de causis feudo privetur, quibus filius exheredari. Nov. 115 Donatio revocari l. ult. C. de revoc. donat. Matrimonium dissolvi possit l. 8 C. de repud. prout à nonnullis pro certa regulâ traditur, verum non existimamus cum Duar. c. 14. n. 25. Arum. Diss. F. 8. th. 27.

46. Quemadmodum autem olim inter Patronum mutua erat benevolentia & amoris obligatio, ita etiam mutuo quodam amoris, suitionis & benevolentia vinculo, dominus & vasallus inter se velut amici & conjuges 2. F. 58. pr. junguntur; & ideo ex iisdem ferme causis dominus directo suo dominio cadit, quibus vasallum utili dominio privari diximus. 2. F. 26. §. domino 2. F. 47. 2. F. 6.

47. Antedicta verò de feudi ob culpam amissione omninò vera sunt, nisi culpam vasallus & dominus invicem sibi remiserint, quâ remissione sibi quidem, non autem iis, quorum interest, præjudicare posse, constat ex 2. F. 31. Remissio fit vel expresse vel tacite Vult. c. 11. n. 61. Quamvis moribus nostri temporis vasalli & domini eâ libertate abutantur, ut hujusmodi pœnarum fulmina non admodum reformident. Vult. c. 11. n. 50. Rittersh. P. feud. c. 5. q. 4.

48. Præmissis consecretaneum est, ut, cui feuda amissa aperiantur & ad quem devolvantur, dispiciamus. Circa quod distingvendum inter feudum novum & vetus, & inter delictum in dominum & extraneum commissum. Feudum novum quocunque modo amissum, ad

ad dominum redit. 2. F. 24. §. fin. 1. F. 5. §. His omnibus 2. F. 55. §. cal-  
lidis 2. F. 24. §. si vassallus. Vult. d. l. n. 70. Verus vero tunc ad domi-  
num devolvitur, si ob culpam vel delictum in eum commissum va-  
sallo adimatur 2. F. 24. §. deniq.

49. Si delictum non in dominum sed in alium committatur, di-  
sting. utrum filii, an vero agnati tantum supersint. Si filii supersint, hi  
plane excluduntur. 2. F. 26. §. si vassallus 2. F. 31. Alvarot. 2. F. 24. §. fin.  
Si vero agnati supersint, iis vassallus delinqvendo, præjudicare ne-  
quit, sed ad eos feudum caducum devolvitur. 2. F. 24. §. fin. 2. F. 31.  
2. F. 37.

50. E converso, si dominus feloniam commiserit, proprietas feu-  
di vassallo adjudicatur 2. F. 26. §. domino committente & ibi Schenck. Baro.  
Ita ut feudum imposterum jure libero & allodiali possideat: dum-  
modo jus domini sit allodiale, puta: quando Titius ex bonis suis al-  
lodialibus fundum Sempronianum Mævio in feudum concessit.  
Secus est quando dominus jus, quod in feudum dedit, recognoscit  
ab alio superiore, quo casu vassallus quidem eximitur à servitiis domi-  
ni delinqventis, & jure vassallagii, verum jus dominans non auferitur  
agnatis delinqventis, vel etiam iis deficientibus domino superiori  
Sonsb. p. 13. n. 72.

*Et sic precipuas amissionum feudi causas, quasi per indicem  
indigitasse sufficiat. Quod superest, Eidem qui hujus dis-  
sertationis prima jecit fundamenta & sine quo nihil rectè  
gerimus Nov. 6. pr. Æterno DEO sit laus per cuncta secula.*

**T**Ranfigis addictus, vitam tempusq; Themistæ  
Ac operam studiis non sine laude voves.

Jamq; Amittendi Feudum, de ponte Cathedræ  
Publicitus doctâ voce tuere modos.

Non oleum ac operam perdis KRIGERE, sed inde  
Nominis assurgit fama decusq; tibi.

Quin, ad Te posthac devolves præmia magna,  
Quæ aliis luxu defidiaq; cadunt!

**HAUD RESPONDENTI cum voto acclamat**

**PRÆSES**

†  
**E** De tui specimen sudoris, pulpita scandē:  
Astrea, Themidiq; diu litasse, Rosetum.  
Testatur, quid multa? Tui KRIGERE laboris  
Accipe complausum quem sedula Musa meretur.  
Vive Deo, Patriæ, Studiis, conatibus hisce  
Aspiret Dominus, qui Te studiumq; gubernet!

Amicissimo suo KRIGERO Erudicæ  
Disputationis Autori

Johann. Kellerhaus, L. W.  
S. Th. St. & Ph. Cand.

**E**X quibus amittat regalia feuda Fidelis  
Causis, hac methodo ritè KRIGERE doces,  
Tu, si sic pergis feudalia volvere Jura,  
Nobile tunc feudum feuda aliquando dabunt.  
Ex animo precor ut Ti acqviras nobile feudum,  
Ut non amittas ipse KRIGERE vide.


Fraterni affectus testandi ergò in gratiam DN. Respon-  
dentis Authoris gratul: hæc asscripsit

Johannes Voss Westph. LL, Stud.

**Q**uis sit Musarum dederit qui munera læta,  
Conscendens cathedram; KRIGER is ipse erit,  
Non! sacrata cohors Nympharum spargito flores:  
At humeris lætus, crinibus albus æger.  
Candens is sellam fovet, & ferventia castra  
Pallantis lustrat. Dicito jura bene.

Hicce paucissimis cognato atq; populari suo  
svavissimo applaudere voluit

Ernestus Lyræ.







ad dominum redit. 2. F. 24. §. fin. 2. F. 5. §. lidis 2. F. 24. §. si vasallus. Vult. d. l. n. 70. Vnum devolvitur, si ob culpam vel delictum fallo adimatur 2. F. 24. §. deniq.

49. Si delictum non in dominum sed in sting. utrum filii, an vero agnati tantum super plane excluduntur. 2. F. 26. §. si vasallus 2. F. 3. Si vero agnati super sint, iis vasallus delinquit, sed ad eos feudum caducum devolvitur. 2. F. 37.

50. E converso, si dominus feloniam committit vasallo adjudicatur 2. F. 26. §. domino committitur. Ita ut feudum impofterum jure libero & a modo jus domini sit allodialia, puta: quando allodialibus fundum Sempronianum Mævi. Secus est quando dominus jus, quod in feudo ab alio superiore, quo casu vasallus quidem delinquentis, & jure vasallagii, verum jure agnatis delinquentis, vel etiam iis deficientibus. Sonsb. p. 13. n. 72.

*Et sic precipuas amissionum feudi causas indigitasse sufficiat. Quod super elevationis prima jecus fundamenta gerimus Nov. 6. pr. Aeterno DEO*

**T**Ranfigis addictus, vitam tempusq; Tunc  
Ac operam studiis non sine laude  
Jamq; Amittendi Feudum, de ponte Cathedræ  
Publicitatis doctâ voce tuere modos.  
Non oleum ac operam perdis KRIGERI  
Nomini assurgit fama decusq; tibi.  
Quin, ad Te posthac devolves præmia magna  
Quæ aliis luxu defidiaq; cadunt!

Ita Dn. RESPOND.

7. 55. §. cal-  
ad domi-  
nissum va-  
ttatur, di-  
uperfunt, hi  
F. 24. §. fin.  
udicare ne-  
fin. 2. F. 31.

prietas feu-  
benck. Baro.  
at i dum-  
nis suis al-  
concessit.  
cognoscit  
tiis domi-  
n aufertur  
superiori

indicem  
hujus dis-  
tribibil rectè  
Et a secula.

acclamas  
ÆSES!

